

III.

NEOVIDENSIS

Nro 25. (*Neovidensis* 1805. Nro 21.)

Ex campis Elysiis.

Sermo Politicus

De Stultitia.

Elysium --Meum.-- Die Martis 26. Mart. 1805. (Neov. 12. Mart.)

Sententia :

Beati pauperes spiritu.

Ita eruditi; haec moralis veritas est una ex antiquissimis: — Beati simplices.

Absit, ut velim hebetes defendere, facteri tamen cogor, eos esse felicissimos, quod experientia abunde comprobavit. Quamvis autem existimem, hac cultiore hominum aetate neminem posse eandem sententiam in societatibus adhibere, quin exsibiletur; at tamen, quod mirum, Dominus Necker me suo posthumo opere de stultitia attonitum reddidit, quod ejus filia celebris Matrona Stael publici juris fecit, & inscripsit: De felicitate imperitorum.

Non oporteretne illos, qui alios oblectare intendunt, minimum aliquid novi producere? Illuminationem, aut Philosophiam secundum receptum hodiernorum eruditorum morem praedicare? Philosophi graviter errant

runt, facem accenderunt furiosissimæ omnium revolutioni. Evidum est, sapientiam tot sæculorum esse eversam, & quem in finem? ut eo redeamus, unde digressi sumus, ut reparemus, quod prostravimus, ut extinctum redintegremus imperium. — Hoc non est factum stultorum, & hoc stultitiæ sufficiens præbet testimonium. Idmodi experientia nequit deflectere a veritate, effectus fuit vehemens.

Verum, Amici! quid prodest hoc illis exprobrare, & eandem cramben semper repetere? Sumusne nos turpitudine tantorum malorum meliores effecti? quando tandem discemus nostram experientiam applicare ad casus futuros?

Usu cognovimus, Dominum Necker ætate Philosophorum fuisse virum perspicacissimum, nemo tamen somniasset, eum stultitiæ panegyrim structurum. Describit felicitatem indoctorum; unde liquet, eum in illuminatione invenisse infelicitatem. Ut primum, scribit ille, Adamus, & Eva prohibitum fructum degustarunt, illico aperti sunt oculi eorum, hoc est, puncto temporis agnoverunt suam vilitatem, & miserias hominum. Deus excludens eosdem e Paradiso vestivit pellibus. Hæc est erga humanum genus notatu dignissima benignitas; hoc tegumentum, hæc pellicea vestis, quæ nostram nuditatem contegit, denotat, ut nostros errores, & opinioniones coram nobismet ipsis oculamus; fortunatum donum, quod improbitas nomine stultitiæ insignivit, & quod noster ingratus

animus non vult agnoscere, est tamen unicum conservandæ nostræ felicitatis remedium. Ex quo homines in unam societatem coaluerunt, invaluit inter illos perpetuum æmulationis studium, quod fons est, & origo omnium calamitatum, ac gaudiorum. Hæc mutua comparatio diversam suppeditat cogitandi materiam. Alii mente recolunt remotissimas Orbis regiones, & jam dudum præterlapsa tempora, ut se magnis viris pares faciant. Alii totam suam magnitudinem ex circuitu, in quo versantur, desumunt. Alii denique contenti sunt, si probent, se suas uxores, & proles ingenio superare. Omnes hi videntur pari perfrui felicitate. Quis tamen ex hac communi hominum altercatione certam reportat victoriam? qui adhuc pelliceo induitur vestitu; indoctus; & hic est, de quo scribo. Parum ille curat, an laudetur, vel deprimatur, omnia sua secum portat, sua opinio illum beatum reddit, hæc est illi magicus pulvillus, in quo molliter cubat, & cum voluptate indormit. Heu quibus explicem verbis felicitatem indocti! Tranquillitas animi emicat ex ejus oculis; Quantum amabilitatis inest imperito, qui se ipso contentus vivit! Neminem offendit, est vivum honestatis specimen, præter se ipsum neminem habet secum. Indoctus, & illuminatus homo sunt ornamento Orbi, omnes reliquæ inter hos interjacentes hominum classes nullam merentur imitationem, suntque infecundæ intra duos altissimos montes sitæ valles. Cæterum indoctus, & illuminatus diversam adhuc in mundo hoc aspectabili

agunt personam, & felicitate multum differunt. Illuminatus multa mente complectitur, quæ omnia ad generalia revocat principia, Mundus illi videtur angustis conclusus limitibus, omnia illi apparent sibi simillima adeo, ut nihil reperiatur, quo ejus curiositas aleretur. Indoctum non exercent tales cogitationes, ille ridet, & admiratur quemlibet actum; vivit in perpetua infantia; Naturam ille considerat se quotidie renovantem. — Rebus lætatur, & perfruitur. Illuminato omnia futura sunt repetitio mera eorum, quæ jam acciderunt, & quæ eum nulla amplius afficiunt voluptate. Indoctus nova conspicatur omnia, diesque transigit in amplissimis spebus. Illuminatus diu deliberat, in singulis electionibus passim illi aqua hæret, quid consilii capiat, ignorat; argumenta habet in utramque partem æqualia. Indoctus e vestigio decernit, parum sollicitus quis cunque fuerit rei determinatæ exitus, ille sine hæsitacione illico vel affirmat, vel negat, cetera comittit fortunæ. Illuminatus sibi perfectionem ut firmissimam rupem, cujus fastigium usque ad nubes pertingat, animo proponit, Indoctus autem eam non novit, illi idem est, ubicunque possit inveniri, nullum movet lapidem ut in ejus originem deveniat, credit enim se totam manibus tenere.

Hucusque Neckerius. Insigne eruditi viri opus de stultitia! Dicitur illud sibi inscripsisse. Ita quondam litteratus Erasmus Rotterodamus laudavit stupiditatem, quæ in omnes linguas versa hodiecum cum voluptate legitur. Mirum dictu, Philosophos, postquam or-

berum universum suis argutiis repleverunt, ad extremum agnoscere suas ineptias, & de stultitia edere commentarios.

Sed ut a rebus stultis ad prudentiores transeamus, evolvamur rationes Gallici, & Anglici *Ærarii* ex valde amatis *Ephemeridibus*.

Status publici Angliæ, & Galliæ ærarii:

Sæpenumero fuit constitutio corporis humani assimilata constitutioni corporis politici, ex qua similitudine patet, crumenam publicam esse Civitatis pericardium, thesaurum vero ejusdem cor. Politicus medicus, ut resciat statum valetudinis infirmæ Civitatis, examinat tamquam arteriam rationes ærarii publici, ex cujus fortioribus vel debilioribus, perdurantibus, vel intermittentibus pulsibus judicat de ejus sanitate, & vitæ diurnitate. Effata medicorum non sunt semper oracula, Medici politici ita frequenter errant, sicut alii in urbibus, aut ruri degentes Hippocrates. Non estne hallucinatus Thomas Payne, prædicens non diu futuram superstitem Angliam, & quidem in numero plurium annorum, li-set ejus arteriæ pulsus in calculum vocaverit, & mathematica demonstraverit certitudine? Non estne illa ægrota, quæ jam in sepulchro putrescere deberet, adhuc ita vegeta, & sana, atque vorax, uti nulla alia.

Cum Anglia, & Gallia bellum spirent internecinum, illaque suam salutem, & securitatem in perpetuo bello reponat, operæ pretium esse existimo, subsidia utriusque Regni, & statum ærarii publici, inter se comparare.

Juxta calculum, quem Neckerus mense Majo 1789. Generalibus Regni ordinibus proposuit, Gallia percepit 475,294,000 Libr. Expensæ effecerunt tempore pacis 531,440,000 Libr. & tamen annuus defectus constitit in 56,150,000 Libr. Debita publica excesserunt tria millia millionum.

Nunc etiam, postquam Gallia finito glorioso bello, imperii sui fines protulit, & populationem una quinta parte hominum auxit, non pluribus eget sumtibus pacis tempore, quam egerit A. 1789. tametsi longe plures sint publici labores. Quæ veritas inde clarissime elucescit: Anno 9. publicæ civitatis expensæ æquarunt 544 milliones, sed sequenti anno decreverunt ad 500 Milliones. Consequentibus quidem annis iterum multiplicatæ sunt in 200 millionibus, verum has necessarias fecit bellum cum Anglis gestum; res enim maritima erat in misero statu, naves, portus, milites navales, & omnia nova debebant procurari. Quod augmentum sola administratio terrestris, & maritimæ militiæ exhaurit. A. 1780 in hunc finem suffecerunt 140 milliones, nunc requiruntur 300 milliones. Debita publica ex illo tempore duabus quintis sunt imminuta, unico anno 12. Collegium solvendis debitis destinatum expunxit 13,404,100, Libr. Non est opus peculiari parsimonia, ut intra spatium 50 annorum omnes æs alienum exsolvatur.

In Anglia A. 1789 vedigalia effecerunt circiter 15 milliones, & A. 1799 ascenderant ad 30,947,000 Lib. Sterl. cui summæ adjun-

gendum adhuc erat mutuuum de 15 millionibus, ut potuerit publicis necessitatibus satisfieri.

Publica autem debita A. 1789 constituerunt summam 266,755,000 Libr. Sterl. A. 1802 exsurexerunt ad 561,782,276. In præsentiarum faciunt 600 milliones. Horum immanium debitorum census abripit quotannis 30 milliones libr. Constat præterea, per ultimum bellum debita nationalia esse duplicata. Denique præsens bellum in eadem incipit progressionem, neque procul abest illud punctum temporis, quo proventus Magnæ Britannicæ, atque Indiarum non sufficient per-solvendis censibus.

Sed dicet aliquis: Anglia habet solventium debitorum ærarium? Ita, imo illa prima dedit laudabilis hujus institutionis exemplum, quod saluberrimas post se trahit sequelas in civitate, cujus gubernium non facit majora debita, quam possit expungere. Creditores nil cogitant de recipiendis pecuniis, sunt contenti percepisse census, & quamdiu Civitas his præstandis par est, tamdiu nullæ audiuntur querelæ; proveniens autem ex commercio lucrum sperare jubet, nullum hac in re ex parte regiminis futurum defectum.

Verum ab anno 1789 lucrum exportationis mercium cum debitis civitatis pari passu non ambulat. Si Minister singulis annis nova debeat facere debita, ut necessitatibus publicis subveniat, & census ex contractis debitis exolvat, ad ultimum nec census po-

terit numerare, & tunc inevitabilis est ever-
sio crediti publici.

Forte tamen iste rerum prospectus non
est ita formidabilis Ministris, uti vulgo exi-
stimatur. In simili casu fuit Gallia ante 8.
annos, dum Conventus nationalis debita Civi-
tatis ad unam tertiam in numerata pecunia
redegit, residuum autem in charta exolven-
dum curavit.

Sed probe advertendum, debita Gallica
vix sextam partem Anglicanorum effecisse,
longeque minorem numerum civium fuisse in
Gallia, a quibus debita erant contracta, quam
sint in Anglia. Hinc certum est: si ob ever-
sum creditum Civitatis in Anglia revolutio
otiretur, illa terribilem in modum sæviret.

Hanc fatalem vim Anglia serius, aut
citius vix evitabit. Possidet quidem inexpli-
cabiles thesauros; commercium exercet in
omnibus maribus; India Orientalis ei submi-
nistrat amplissimas opes. Sed si commercio
privaretur, vel notabili saltem ejus parte; si
ejus Classes non possent amplius impune il-
ludere aliis nationibus, earum naves expila-
re, & colonias eripere; quid si ejus potentia in
Indiis naufragium pateretur? Quam artificio-
sus, coactus, & complicatus est populi An-
glici status! Quam multæ conditiones debent
impleri, ut ille stabilis permaneat!

Gallia nulla alia re, quam suo territorio,
& populo opus habet, ut id, quod est, sit,
atque perseveret.
